



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

290. Examen de regno Christi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

& crucifigendum. *Matth. 20. v. 19.*) significans, quâ morte esset moriturus. *Ioan. 18. v. 30. 31. 32.*

III. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: 1. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. 2. & prohibentem tributa dari Cæsari. 3. & dicentem, se Christum regem esse. *Luc. 23. v. 2.*

MEDITATIO CCXC.

Examen de regno Christi.

I. **I**Ntroivit iterum in prætorium Pilatus, & **I**vocavit **I**ESUM. *Ioan. 18. v. 33.* **I**ESUS autem stetit ante præsidem, & interrogavit eum præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi **I**ESUS: Tu dicis. A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? *Matth. 27. v. 11. Marc. 11. v. 2. Luc. 23. v. 3. Ioan. 28. vers. 34.*

II. Respondit Pilatus: Numquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices traderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit **I**ESUS: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. *Ioan. 18. v. 35. 36.*

III. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu?

tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. *Ioan. 18. v. 37. 38.*

MEDITATIO CCXCI.

Christus vehementius accusatus tacet, & ad Herodem mittitur.

I. **A**It autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Iudæam, incipiens à Galilæa usque huc. *Luc. 23. v. 4. & 5.*

II. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. *Matth. 27. v. 12.* Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. *Marc. 15. v. 3.* Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? *Matth. 27. v. 13.* Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide, in quantis te accusant? *Marc. 15. v. 4.* Et non

M 4. respon-